



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 1. De obligatione pastorum Animalium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

TITVLVS XXI.

De Pastoribus Gregum.

Articulus Primus.

De obligatione Pastorum animalium.

I. **A** principio quidem Patriarchæ & ipsi Reges, Pastores pecudum fuerunt, & divitiæ illorum in animalibus constituebantur, de quibus passim Scriptura. Porro nunc Triplicis generis pastores sive Armentarij reperiuntur: alii enim Mercenarii, alii Partiarrii, alii Domini sunt. Mercenarii dicuntur: qui ad custodiam & curam animalium, suam operam & industriam stipendio certo elocant. Partiarrii: qui industriam suam & operam gregibus impendunt, contractu quodam societatis; ut certa pars gregis eis cedat, sive ut Dominus animalia, partiarrius operam & industriam ex contractu contribuant. Domini dicuntur: qui per se sive filios animalia pascunt absq; opera aliena: quales fuerunt Abel: & cæteri Patriarchæ etiam David, V 5 2. Por-

2. Porro sub nomine Pastorum comprehenduntur, omnes qui animalium pastui invigilant, quocunque tandem vocabulo nuncupentur, à variis animalium speciebus: ut caprarii, qui capras custodiunt: Bubulci, qui Bobus pascendis vacant: Porcarii qui porcos: Equifones & Agifones, qui equos & mulos pascunt & gubernant: horum obligationes potissimum sunt tres. 1. Ut gregem & singula gregis animalia, ab omni injuria, quantum possunt, defendant, & suo Domino bene conservent. 2. Ut gregem ad pascua salubria, & animalibus proficua deducant. 3. Ut caveant ne greges & animalia suorum Armentorum, alicui damnum inferant.

Articulus Secundus.

De peccatis Pastorum.

1. **P**Eccant mortaliter in Materia gravi, si ex eorum culpa vel negligentia aliquod pecus pereat, utpote: vel devoretur à lupo, vel alia fera: vel furto auferatur, aut ob imperitiam gravem animalia incurrant morbos, quibus aut sterilecant aut emoriantur,